

**Dissertatio  
theologica, de  
gratiae Dei nonnullis  
differentibus modis,  
succ...**

Laurbecchius, Petrus Laurentii,

11 Ae



National Library  
of Sweden

A. S. S. & I. T.  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
De

GRATIÆ DEI  
NONNULLIS DIFFEREN-  
TIBUS MODIS,

Succinctè in *Græcâ & Latînâ* adornata:

*Quam,*

E censurâ & approbatione,

ADMODUM REVERENDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,  
In Regiâ Academiâ Aboënsi,

PRÆSIDE

PETRO LAURBECCHIO,

S. S. TH. D. & PROFESSORE Ordinario,

*Publicæ disceptationi submittit*

HENRICUS O. BONERUS,

Arctopolitanus Saragundus;

*In Auditorio Superiori & Maximo,*

Ad diem 15. Maji Anni Ch. MD. DC. XCI.

Exc. apud JOH. LAURENTII WALLIUM, A.T.



2 1/4

REVERENDISSIMO IN CHRISTO  
PATRI AC DOMINO,

DN. JOHANNI GEZELIO,

S.S. Theologiæ Doctori, & Dioceseos Aboënsis  
EPISCOPO Eminentissimo, ac Academiæ PRO-CAN-  
CELLARIO Magnificentissimo; Meccœnati & Patrono  
summo, devotâ animi veneratione æternùm  
& submissè suspiciendo,

INCOLUMITATEM ET FELICITATEM OMNIGENAM!



*M*ultos quidem, Patrone Maxime, in Palladis arvo  
sudare, ast non illico tot, ob varia, eaq; maxima  
obstacula, optatum felicemq; successum impediencia,  
inoffenso tramite posse penetrare Apollinis Flûnum,  
extra omnem dubii aleam est. Quippe hunc in-  
evitabile necessitatis telum gravat, alteri tarditas ingenii obicem  
ponit: uni imperat segnities, alium nimia rerum abundantia in-  
tolerabilisq; pariter luxuria impedit & moratur, adeo, ut ejus-  
modi iricis implicati vix ac nè vix quidem desiderii, etsi arden-  
tissimi, metam consequi ac obtinere queant. Ego verò, cui rerum  
non redundantia, sed potius indigentia, multique alii inde e-  
manantes defectus, cursum studiorum & conatus hætenus in-  
hibere ceperant exoptabiles, infelicitatis ingenio mei labens tar-  
dam



dam agnoscō indolem, eandemq; crebris, ac par est, exercitiis (juxta differētiū Perianthri: exercitatio potest omnia; nec ars, sine exercitio quiquam est, necquidem, versā vice, exercitium sine arte) rependere allaboro. Hinc est & hoc, quōd hāc vice, faventibus superis, publico quodam specimine constitui ingeniorum exercere meum, eiusque pertenuēs periclitari, imō magis magisque acuerē viros, & hoc quidem imprimis in hāc maximē arduā & perplexā materiā; cum iniqua fatorum fors huc usq; specimen aliquod scriptiois propriū hāud admiserat. Ex amēnissimo autem juxta ac patentissimo Theologia campo depromptam, nempe de GRATIA DEI ineffabili erga lapsam genus humanum, cum propter materiei sublimitatem ac dignitatem, tum etiā utilitatem atq; præstantiam summā, hanc Dissertationem sisto. Et licet plurimis hāud dubiē hi conatus mei movebunt admirationem, quōd Magnō ac tutelari Tuo nomini, Reverendissime Dn: Episcopo, hæc paucas audeo inscribere pagellas; nihilominus tamen Reverendissime T. & Paternitatis insignis ille atq; ad astra tollendus favor, quo omnes alios in musarum castris militantes, tum etiā me vilissimum jam ab illo usq; temporis momento, ac Rev. Tuam Amplitudinem felicis luminis aura nunc iteratō ad inclutam hanc Urbem appulit, est prosequuta, me animat, eōq; adigit, ut ad Reverendiss. T. Amplitudinem humillimā mente hæc ingenii mei primitias deferam. Respice itaq; Patrone submissē colende, levitate hoc munus placido vultu, quōd Tibi in devota observantia atq; gratitudinis munūq; consecratum & dicatum venio. De cætero conserve Te, Mœnæ maxime, Cæleste Numen, Augustissimo nostro Regi, Patria, Ecclesia, splendidissimāq; in simul Familia, in Nestoreos annos hospitem ac incolumem! Quod votum pro salute Tuā ad ultimos usq; cineres meos fundam,

Reverendiss. Tuæ Dign. atq; Amplit.

Devotissimus cultor  
HENRICUS BONERUS.

*Plurimè Reverendo & Praeclarissimo, Clarissimo, Reverendis insigni,  
eruditione juxta ac Doctrinâ undiquaq; conspicuis Dominis:*

**D<sup>N</sup>. M. GABRIELI FORTELIO**, Inferioris  
Saxoniae Praeposito, nec non Bienenburgensium & Ulfshyem-  
sium Pastori longè meritissimo; Promotori & Fautori, ut propen-  
dissimo, ita officiosissimo mentis affectu jugiter prosequendo.

**D<sup>N</sup>. M. DAVIDI PETREJO**, Scholæ hacten-  
us Aradopolitanae Trivialis Rectori ac Moderatori deterrimo,  
nunc Niguenfium designato Pastori vigilantissimo; ceu Praecepto-  
ri non tam pridem fidelissimo, ita nunc Fautori certissimo.

**D<sup>N</sup>. M. ABRAHAMO THURONIO**, Scholæ  
ejusdem Correctori solertissimo, Evergetæ ac Promotori, quovis  
obsequii & honoris affectu semper venerando.

**D<sup>N</sup>. ANDREÆ OSELIO**, Equestri cohorsis  
Concionatori laudatissimo, Fautori ut & Benefactori sincerâ  
mente colendo.

**V**estrae quoque in literas & literarum satellites decantandæ  
benevolentiae, praesertim candido illi affectui atque bene-  
ficiis, quibus me, Plur: Rev: Clariss. atque Rever: Dn.  
Promotores, semper absque ullâ temporis atque loci intercapedine,  
cumulatiss; illis, inquam, enarrandis ac recensendis paucas quidem  
pagellas scio non posse sufficere; Malo proinde heic mecum tacite,  
cum mihi, tum aliis praesentia, in memoriâ reservare, quam in  
publica prorumpere en omnia, animumque duntaxat gratum, &  
ad officia quovis promptissimum indicare. Alia dona cum jam desint,  
munus igitur, Favores Benignissimi, hocce chartaceum hæc  
vice in grati animi indicium serena suscipite fronte, non  
tam oblati quantitatem, quam offerentis animum aspicientes. Quod  
superest, summum illum cœli Monarcham supplex veneror, quò  
vos heic in seros permittat superesse annos; imò quovis insuper  
felicitatis genere vos clementer diu beate haud dedignerit!

*Plur. Reverend. Dignit. V. S. & Humanitat.*

humillimus cultor  
**HENRICUS O. BONERUS.**



rrant Pontificii, cum sequacibus: *Vel opinantes, DEum velle omnes homines salvos fieri, multitudine indefinitâ, ut quodammodo dici possint omnes, quia sunt valde multi; Secus quam ait Apost. Petrus, 2. Petr. 3. v. 9. ex Eze. 18. v. 23, 3, 2. ibidem 33. v. 11. Vel explicantes Dilectionem DEI & voluntatem universalem, de auxiliis Salutis generalibus, utpote Creatione hominis ad beatitudinem, Lege natura, theatro creaturarum, & predicatione Redemptionis nostræ per Christum, quæ absq; mediis & auxiliis specialibus minimè sufficiunt; ubi & inscitè confundunt, videlicet Media pædagogica, Creationem hominis ad immortalitatem, Legem naturæ, Creaturarum theatrū, Rom. 1. v. 19. 20. A& 17. v. 27. seq. Gal. 3. v. 24. cum Mediis salutis spiritualibus 1. Corinth. 2. v. 14. & perverse divellunt actus gratiæ applicatrici, quasi velit Deus quidem omnium Vocationem, non verò Conversionem, Justificationem, Glorificationem; docente aliter Spiritu Sancto, Rom. 8. v. 30. Esa. 65. v. 1. seqq. Vel accipientes de Voluntate Christi humanâ, affectionis & desiderii, quam Vellei-antem vocant, quòd Christus omnes velit salvos fieri, quæ Voluntati divinæ non sit per omnia conformis; Contrâ quàm asserit Paulus 1. Timoth. 2. v. 3, 4. 2. Corinth. 5. v. 18, 19. quippe Deus vult omnes salvos fieri, idemq; Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. Adisit Ezech: 18. v. 23. ibid. 33. v. 11. Vel de Voluntate ministeriali Sacerdotum, aliorumq; piorum hominum, accipientes Dilectionem universalem DEI, quatenus facit pios homines desiderare omnium salutem, aut agere ut omnes salventur, sicut Paulus loquitur, 1. Corinth. 9. v. 22. Omnibus omnia factus sum, ut omnino aliquos salvem; Quasi absurdum esset, Voluntatem ministerialem Sacerdotum subordinari Voluntati & dilectioni universali Dei, ceu agenti principali, ut qui ordinavit medium illud salutis, nempe Ministerium, non vellet finem quoq; scilicet salutem, contra rotundam Dei ipsius asseverationem Esa. 65. v. 2. Rom. 10. v. 21. Matth. 23. v. 37. Jer. 31. v. 20. Ose. 11. v. 8, 9. Matth. 11. v. 28. & passim.*

quin es-  
iam Pon-  
tificio,  
rum &  
sequacia-  
um.

18  
Observatio.

10. Cæterum circa *Gratie Dei* divisionem, in *Ordinantem* nempe *media salutis*, eademque *Applicantem*, ante omnia observandum venit; (1) Esse eam *generalem & primam*, alias *Gratiæ* differentias & reapse, & in nostri signo conceptus antegredientem, ut quæ *omne consilium Dei circa hominum salutem*, Act. 20. v. 27. complectitur, tum ratione *Decreti ab æterno facti*, Eph. 1. v. 4, 5. 2. Tim. 1. v. 9. tum ratione *Executionis ejusdem in tempore*, Joh. 3. v. 16. Gal. 4. v. 4. Eph. 1. v. 10. Tit. 2. v. 11. unde etiam reliquos omnes *Gratiæ* divinæ modos, quæ negotium videlicet salutis, ambit & includit: (2) Distinctionem *Gratie Dei* per gradus supra expositam, velut in *Prævenientem*, *Operantem* & *Perficiantem*, tantum & unice spectare ad *Gratiam applicatricem*, nullâ verò ratione ad *Gratiam ordinatricem mediorum*. Etenim *Ordinatrix* gratia Mediorum salutis, ceu æterna & *αὐτὴ χάρις αἰώνιος* existens, 2. Tim. 1. v. 9. nec gradus, nec præveniens quid aut subsequens admittit, Psal. 90. v. 4. 2. Petr. 3. v. 8. quin & hoc oriretur absurdum, *Media salutis* secundum magis & minus, adeoq; differentiâ graduâli, hominibus ordinata esse; quo manifestus particularismus Calvinistarum, & pariter absolutum *Electio- nis decretum* introduceretur. *Applicatricis* ergo *Gratie* sunt isti gradus, cum *Præveniens*, *Operans* & *Perficiens*, nuncupatur. Quæ de re B. Chemnitius P. 1. LL. CC. de Lib. Arbitr. cap. 6. *Augustinus*, inquit, *eruditè & utiliter distribuit gradus motuum & actionum spiritualium, in exordium, progressum, & summam; & singulis gradibus peculiare tribuit appellationes gratiæ, ut eò conspectior sit distinctio. Et post Cap. 7. ait: Conversio & renovatio habet sua initia, suos progressus, quibus in magnâ infirmitate perficitur. Videtis D. Iohan. Musæi Tract. de Conversione Hominis disp. 5. th. 30. seqq.*

Gratia  
Applicat-  
ricis, vel  
Ordinatri-  
cia, vel  
Extraordi-  
naria.

II. *Gratia* ista *Applicatrix* dividi etiam solet (2). Quæ *Modum*, In *Ordinariam* & *Extraordinariam*. *Ordinaria* est, quæ omnes  
omnino

19

omnino homines, ordinario Evangelii ministerio, ad regnum DEI, vitamq; & salutem æternam, vocantur. Extraordinaria verò est, quã certi homines singulari Dei potentia, & miraculis ut plurimum illustribus, è regno tenebrarum in regnum lucis filii Dei evocantur. Nititur autem hæc Gratia distinctio solidis Sacrarum Literarum documentis, tam Veteri, quàm Novo Fœdere conspicuis. Gratiam enim Ordinariam evincunt, tum efficacia Evangelii ad hominum illuminationem & conversionem, Psal. 19. v. 8. seq. Rom. 1. v. 16. Hebr. 4. v. 12. 2. Petr. 1. v. 19. tum prædicatio Evangelii de Christo universalis, ad conferendam omnibus fidem, 1. Corinth. 1. v. 11, seqq. 1. Petr. 1. v. 23. quò pertinet parabola Christi, de semine in diffærem terram cadente, Luc. 8. v. 4, seqq. tum fidei obsequatio per Sacramenta, Rom. 4. v. 11. Gen. 17. v. 11. Joh. 3. v. 3, 5, 6. Tit. 3. v. 5. 1. Petr. 3. v. 21. Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Corin. 11. v. 24. Indicia igitur Gratia Ordinariæ sunt, (1) quòd per Ordinarium Verbi ministerium sese exserat, (2) quòd illi possint homines per omnia resistere, ceu patet Mat. 23. v. 37. Aët. 7. v. 51. Esa. 65. v. 2, seqq. (3) quòd non semper optatum eventum sortiatur, cum homines variis modis ponant huic Gratia obicem, Luc. 8. v. 11, seqq. At Gratia Extraordinaria exempla sunt, Abraham, antea Idololatra, Gen. 12. v. 1, seqq. Jos. 24. v. 2. Mattheus Evangelista, Matth. 9. v. 9. Marc. 2. v. 14. Luc. 5. v. 27, seq. in primis Paulus Apostolus, Aët. 9. v. 3, seqq. Ad Gratiam igitur DEI Extraordinariam hæc tria concurrunt; (1) Singularis quædam DEI potentia, (2) Miracula, quibus vocationi fides fit; (3) Gratia hæc semper sortitur optatum eventum.

12. Sed ad hæc quidem annotat B. D. Scherzerus Breviar. Nota. Hulsemanni enucleati cap. vi. th. 15. ista sequentia: Pauli Vocatio facta quidem est extraordinariè, sed non irresistibiliter facta est ejus Conversio ac Regeneratio, Aët. 9. v. 4, seqq. Illa enim facta est quæsi instanti, hæc autem (intra triduum) successivè. Tum ab ex-

*irregularitate & miraculose ad irresistibile N. P. C. Miraculis enim multi resistunt. Consentit B. Hulsemannus, loco allegato ipse in-  
 quiens: Non negamus, Deum post inditas etiam homini diversas fa-  
 cultates, tum naturales, tum spirituales, quosdam motus, non natu-  
 rales, quam spirituales (Extraordinarie scilicet excitare in homini-  
 bus, extra ordinarium influxum naturalem & spirituales, de causa  
 nobis incognita. & quia sic placet: Sed uti Deum his influxibus ex-  
 traordinariis (naturalibus & spiritualibus) in producendis illis effe-  
 ctibus, ex quibus aeterna salus aut condemnatio hominis, Necessaria  
 connexionem talis effectus cum tali influxu sequitur, id vero Negamus.  
 Quae cum primis, contra Calvinistarum absolutum decretum,  
 observanda sunt. §. De causa vero Gratia Extraordinaria D.  
 Scherzerus addit ibidem: Non tenetur Deus, cur hunc non illum  
 extraordinarie ad conversionem sollicitet, aliam rationem reddere,  
 quoniam, annon licet mihi facere de meo, quod volo? num oculus tuus  
 ideo nequam est, quia egotam bonus sum? Matth. 20. v. 15. De hac Gra-  
 tia Extraordinaria & superabundante, vel de Ordinaria gradibus  
 tantum, non entitate, intelligendus est Augustinus, quando dicit, De-  
 um absolutam voluntate Gratiam dispensare, nec posse ullam aliam  
 eius rei rationem reddi. sufficit quod omnibus gradus sufficienter  
 largiatur, etsi nullus (quia sic placet) eam tantam & superabundante  
 sine indebita mensura non admittatur. Videbis Psal. 147. v. 20. Quod  
 non observant, qui ex Augustino absolutissimi Calvinistici patronum  
 faciunt.*

Gratia  
 Suffici-  
 ens &  
 Efficax.

13. Dividi solet Gratia eadem (B) Ex Eventu, in Sufficien-  
 tem & Efficacem: estque divisio haec, & quae terminos appellationum,  
 & quae applicationis sensum, ambigua valde & controversa.  
 Quae de causa B. D. Scherzerus Breviar. Hulsemanniani cap.  
 14. ad th. 15. Praestare, ait, propter ambiguitatem ab hac distinctione  
 Gratiae abstinere, ac simpliciter dicere, nullam gratiam esse, qua  
 non sit sufficiens, nullam qua non sit efficax. Omnis est efficaciter  
 sufficiens, & sufficienter (in suo ordine & aeternitate) efficax. Nihil  
 tamen

tamen fecius retinent divisionem istam, Brochmandus, Dorſcheus, Oſiander, alique; & quando res ipſa in Scripturis haud obſcurè traditur, oftendunt quoque modum, quo tolerari diſtinctio iſta *Gratie Sufficiens ac Efficax* poſſit. Eſt enim *in ſe* una eademque eſt *Gratia Sufficiens & Efficax*, 2. Cor. 12. v. 9. aliquo reſpectu tamen externo diſferunt. *ſ.* In limine hic itaque aberrant, (a) *Calviniani* plerique, qui vel ſimpliciter rejiciunt hanc diſtinctionem, vel diſtinctionem illam eſſe *apud* in ſignificata *diverſa* ſtatuant, ut non ſit eadem *Gratia*, quæ ex eventu & objecti ratione, *Sufficiens & Efficax* appellatur: Cum econtra diſtinctio hæc *modalis* ſit, *unius ejuſdemq; Gratie ex diverſo eventu denominata*, non *nominalis*, in diverſas res voce *Gratiæ* ſignificatas, ut quâ contradic-  
tionem *Efficacis* contra *Sufficientem* gratiam, *weil* *quia* illius crudelis & abſolutæ reprobationis quæritur. Quo in negotio graviter pronunciat B. Hulſemannus Breviar. cap. allegato. th. 13. in hanc ſententiam: *Ex meſura divine gratie conſervantis fidelem in tentationibus, nè deſciat, atq; ita benevolentia Dei & ſalute excidat, non ſequitur; Speciem hanc Gratie conſervantis, ex inſtituto & intentione Dei, aliam eſſe Sufficientem, aliam Efficacem, ita, ut vel immediata diſiſto Gratie Sufficiens fiat, in Efficacem & Inefficacem, vel Sufficiens gratia toto genere differat ab Efficaci. Efficacia omni gratia, quantum etiam ſit, ineſt, eſt eventus non ſemper (vicio ſubjecti, non gratia ipſius) reſpondet, addit ibidem D. Scherzerus; (b) *Ieſuitæ* moderni, quando *Gratiam* ſeu *Auxilium*, ut appellant, *Sufficiens & Efficax*, non modò externo, ratione doni & objecti, ſed per aliquid quodq; ſibi *intrinſecum* diſtingvi contendunt, ita ut *Auxilium efficax*, ſecundum ſe habeat à Deo realem aliquam virtutem, quam non habet *Auxilium tantum Sufficiens*, adeoq; *Auxilium Sufficiens* idem propriè ſit atq; *Auxilium inefficax*: Cui adverſum teſtantur Scripturæ, *unam & eandem Gratiam in Chriſto*, cum*

Diſtinctio illa explicatur contra Calvinianos & Ieſuitas.

22 Sufficiētem, tum Efficacem, omnibus oblatam homini-  
bus, idē sine discrimine, aferentes, Tit. 2.v.11,12. Joh.3.v.16,  
seq. Ibidem 1.v.12,16, seq. eamq̄ utroque modo perfectam,  
Esa. 65.v.1, seq. Psal. 19.v.5. Rom.10.v.18. Esa.55.v.10, seq.  
Colos.1.v.23,6. Rom.1.v.16. Hebr. 4.v.12. Jer.23.v.29. Eph.6.  
v.17.2. Corinth.10.v.4, seq. &c. Quinimo, *Auxilium Suffici-  
ens inefficax, est Gratia non gratia, gratia sufficienter inefficax  
ad salutem; quod blasphemum & absurdum est, a jente, ubi supe-  
rius, B. Scherzero.*

Prebarur  
ex Scri-  
pturā;

14. Nomenclationibus proinde omissis, quibus hanc di-  
visionem efferre solent novatores, dum alii, cum Bellar-  
mino, *Auxilium* appellant *Sufficiens & Efficax*, alii præterea  
*Gratiam Efficacem & inefficacem, Congruam & Non Congruam, &  
subdivisiones* esse volunt *Gratia Prævenientis*, contra 1. Timoth.  
2.v.4. Ezech.18.v.23,32. C. 33.v.11.2. Petr. 3.v.9. rectā rem ipsā  
accedimus, quæ Sacris literis haud obscurè expressa est.  
Verbi gratiā: *Sufficiētem* indigitant *gratiam* Sacrarum Scri-  
pturarum testimonia ejusmodi, quæ vel *invitationem &  
consilium Dei, hominumq̄, inobedientiam & contemptum*  
inculcant, ceu Prov.1.v:24,25. Luc.7. v.30. Joh.5. v.39,40. Act.  
13.v.46. Esa.55.v.5, seqq. vel *Voluntatem Dei benevolam* expo-  
nunt, *hominumq̄, renitentiam ac rebellionem*, Matth.23. v.37. Luc.  
13.v.34. Ezech.12.v.2. Act. 7.v.51. Jer.6.v.10. vel *querimonias*  
Dei proponunt, quod tam *solicitam ad Curam Dei circa ho-  
minum conversionem, nulla tamen horum secuta sit Penitentia,*  
Esa.5.v.1, seqq. Jer.2.v.21. &c. Quæ omnia evincunt, quādam  
dari Dei gratiam, quāquam abunde *Sufficiētem* hominibus  
*convertendis*, quā tamen homines non convertantur, quia ipsi  
malitiā suā gratiæ ponunt divinæ obicem. De *Efficaci* verò  
*gratiā* loquuntur ista Scripturæ dicta, quæ aut *Terram com-  
mendant bonam & frugiferam, in quam Verbi semen spargitur,*  
Luc,

Luc. 8. v. 15. aut ex Verbi auditu compunctos corde commemorant, 27  
 qui Verbum libenter receperint, Act. 2. v. 37, seqq. Ibidem 13. v. 48.  
 Rom. 6. v. 17, seq. Joh. 8. v. 31, seq. aut Fidem habitam Evangelio lau-  
 dant, 2. Theff. 2. v. 13, seq. c. 1. v. 3. 1. Thef. 1. v. 5. &c. Ex quibus  
 constat planissime, Gratiam Efficacem, isto non indigitari no-  
 mine, eò quòd Conversionem operetur, sive absoluto quo-  
 dam decreto, sive virtute tantâ, cui homo convertendus re-  
 sistere nequeat; sed ab eventu, hoc quicquid est nominis illi  
 attribui. Denique hîc accuratè notandum venit, Gratiam Suffi-  
 cientem & Efficacem non esse diversi generis, aut distinctas Gra-  
 tiæ species, sed unam eandemq; Gratiam, â diverso eventu,  
 diversas istas nomenclationes sortiri; sicut Gratia eadem  
 Judæis, Verbo Dei se opponentibus, fuit inefficax, Gentibus  
 verò maximè efficax ad conversionem, Act. 13. v. 46, 48.  
 Hinc Gratia hi modi describi solent: Sufficiens est, quæ in  
 sese infinitam, & sufficientem, ex intentione Dei, continet virtutem,  
 ad effectum in actu conversionis sibi proportionatum immediatè  
 producendum, utut, ob venientiam hominis voluntariam & moro-  
 sam, effectus non subsequatur, Matth. 11. v. 23. Efficax est, quæ cum  
 ipso effectu & eventu connexa, actu ipso consequitur, ad quod desti-  
 nata fuit, Marc. 4. v. 26, seqq.

Ejus  
 membra  
 descri-  
 buntur.

15. Deviant ergo circa Sufficientis & Efficacis gratiæ, tum  
 distinctionem, tum explicationem, (1) Pontificii, cum Calvi-  
 nianis plerisque & Arminianis, qui hîc gradualem tantum  
 differentiam agnoscunt, ut Sufficiens sit gratia excitans, Efficax  
 verò adjuvans, idq; discrimen ab intentione Dei suspendunt,  
 qui per Sufficientem externa tantum media offerat, ut  
 homo possit velle, credere, converti, bene operari, licet actu  
 nullum horum faciat; per Efficacem verò cooperetur, ut  
 homo infallibiliter reipsâ velit, credat, convertatur, bonum  
 faciat: Quæ omnia adversantur Scripturis, & prius allega-  
 tis de Gratiâ Sufficiente, velut Joh. 5. v. 39, 40. Luc. 7. v. 30.  
 Matth.

Refuta-  
 tur expli-  
 catio  
 Pontifi-  
 ciorum  
 & Calvi-  
 niano,  
 tum.

Matth. 23. v. 37. & aliis, virtutis & efficacia gradus in Gratia Dei prorsus negantibus, ceu Num. 11. v. 23. Esa. 50. v. 2. c. 59. v. 1. Thren. 3. v. 22, 23. Phil. 2. v. 13. etsi tamen gradus concedant mensura & applicationis, Psal. 147. v. 20, & c. (2) Calvinistæ quidam syncretizantes, nominatim Pareus, qui urget primò, Gratiam SuffICIENTEM & EFFICACEM non distingui, cum Sufficiens sit Efficax, & contrà; Quod de distinctione quidem SPECIFICÀ conceditur, nos autem, cum Scripturâ, modalem tantum asserimus, quomodo Gratia una eademq; à diverso eventu, Sufficiens aut Efficax deprehenditur: Deinde contendit, Gratiam SuffICIENTEM semper EFFICACEM esse, ex responsò Christi ad Paulum, 2. Corinth. 12. v. 9. *Καὶ ἐγὼ ἰκέλευσά μιν, Sufficit tibi gratia mea;* cum e contra, SuffICIENTEM gratiam non semper esse eventus ipso EFFICACEM, Deus loquatur ipse, Esa. 5. v. 4. Eze. 12. v. 2. Christus, Matth. 23. v. 37. Stephanus, Act. 7. v. 51. Paulus, Act. 13. v. 46 Exemplū Pauli allegatum particulare est; aliud verò in præsens est *κοινὸν*, scilicet an Gratiam SuffICIENTEM semper constet EFFICACEM esse: Tertio ait, ad eludendum superius laudata Scripturæ oracula, Deum vocare multos externâ predicationis Verbi, & Sacramentorum gratiâ, variisq; beneficiis & miraculis, quos tamen internâ Spiritus S. gratiâ non vocat; Verùm id supponitur *ἑἷδος*, DEUM quosdam vocare solâ gratiâ externâ, absque internâ Spiritus S. in cordibus operantis actione, cum tamen externa verbi predicatio & interna Spiritus S. operatio, ex intentione DEI, semper concurrant, Rom. 1. v. 16. c. 10. v. 17. c. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 16. hominum autem vitio fiat, ut quod Deus intendit, optatum non sortitur eventum, Matth. 23. v. 37. nec infringitur inde Dei omnipotentia, ceu Pareus putat, quando hæc talia, non ex potentia Dei, sed gratis regno, æstimari se permittunt: Hos. 11. v. 8, 9. Quarto excipit, resisti quidem posse Spiritui S. Verbum externum per prophetas loquenti, non verò EFFICIENTER fidem

*inspiranti: Ad quod reponitur, non aliam dari Spiritus S. efficaciam, in convertendis hominibus ordinariam, quam per ministerium verbi & Usum Sacramentorum, 1. Petr. 1. v. 23. 2. Cor. 5. v. 19. per quæ etiam inspiratur fides, Rom. 10. 17. Luc. 8. v. 12. Joh. 20. v. 31. Marc. 16. v. 15, 16. quibus qui dixerit non posse resisti, Dei verbo & communi experientiæ obloquetur.*

25

16. Cumulant hic lites (3) Doctores Pontificii, circa *Auxilii Sufficiens* explicationem, in quo nempe hoc consistat: Vel cum disputant, an auxilium *Sufficiens* sit distinctum à lege, revelatione & doctrinâ, Quippe aliàs, nisi ab illis distingueretur, quæ omnibus proponitur & patent hominibus, merum induceret Pelagianismum, virium humanarum integritatem, in applicatione Gratiæ conversionis, stabilientem, contra Joh. 6. v. 44. c. 15. v. 5. 1. Corinth. 2. v. 14. *Vel* quando dubitant, an *Sufficiens* illud sit tantum *actuale*, num verò etiam *habituale*; Cum, si habituale esset, rejici ac repelli non posset, secus quam queritur Esaias c. 53. v. 1. etiam Deus ipse, ibidem 65. v. 2, seqq. & Christus, Matth. 23. v. 37. *Vel* de virtute *Auxilii Sufficiens* dilceptant, statuentes id esse *de se inefficax*, sive ex *Dei voluntate & providentiâ*, tanquam primâ radice, sive ex *reali & intrinsecâ conditione*, à virtute *auxilii efficacis* distinctâ, sive ex *defectu divinae voluntatis & cooperationis liberae*; Etiam si in adversum, *Gratia Dei* in se una, eademq; semper *ex se* sit *efficax*, quæ *sufficiens*, Esa. 55. v. 10. 11. Rom. 1. v. 16. Hebr. 4. v. 12, quòd verò *resistentiâ* hominum *inefficax* redditur aliquando, id neq; ex *Dei* oritur *voluntate & providentiâ*, quippe qui *omnes vult homines, precipuè credentes, salvos fieri.* 1. Tim. 2. v. 4. 2. Petr. 3. v. 9. Ezech. 18. v. 23. Joh. 3. v. 16. 1. Tim. 4. v. 10. *neque* ex *reali & intrinsecâ conditione*, à *gratiâ efficaci separata*, utpote cum *Gratia* seu *Auxilium Sufficiens & Efficax* resp. à sit *unum idemq;*, à diverso eventu ita denominatum, Act. 13. v. 46, 48. *cujus intrinsecâ & realis conditio, à gratiâ efficaci sepa-*

Refutatur Pontificii & Calviniani, circa explicationem Gratiæ Sufficiens.

D

rata,

26 *nata, concipi nulla potest, 2. Corinth. 12. v. 9. neq; ex defectu divina voluntatis & cooperationis libera, nempe quia credentes predestinati sunt in filios Dei in Christo, ante jacta mundi fundamenta, pro sponte benevolenti affectu voluntatis Dei, & secundum propositum ejus, qui omnia efficit ex consilio voluntatis suae, Eph. 1. v. 4, 5. Consilium autem Iehovae permanet ratum sine defectu, Prov. 19. v. 21. Psal. 117. v. 3. Esa. 46. v. 10, seq. tum quia Dei voluntatem, tum quia liberam ejusdem cooperationem. Errant denique circa Gratiae Sufficiens explanationem, (4) Etiam Calviniani, dum diversimode sic appellari ajunt; Alii inde, quod administrat media salutis usq; ἀναπολογησίαν, quatenus Vocatione externā per Evangelium, sine internā motione in cordibus, omni excusatione coram Dei iudicio infideles privantur: cum tamen etiam Gentiles, ex cognitione Dei per Lumen naturae, sint ἀναπολογησί, Rom. 1. v. 20. etsi vocationem externam per Evangelium semper non habent, Eph. 2. v. 13. imò quoq; externa vocatio per Evangelium nulla est sine internā motione in cordibus, Jer. 23. v. 29. Esa. 49. v. 2. Ecclesiast. 12. v. 11. 2. Cor. 10. v. 4. seq. Hebr. 4. v. 12. Alii hanc Gratiam, respectu potentiae in Adamo perditae, aestimant, quasi mille mundis convertendis adaequata sit; Quae nihilominus potentia, in hac vita nunquam plene & perfecte restituitur, ut sufficiens dici queat, Phil. 2. v. 4, 11, 12. Hebr. 12. v. 13. neq; manet à parte Dei, ut χάρις seu gratia, sed à parte hominum, seu χάρισμα & donum gratuitum, Eph. 4. v. 8, 13, 24.*

*Refutat  
tur Pontifi-  
ciorum circa  
explicatio-  
nem  
Gratiae  
Efficacis  
vagam &  
inertam* 17. Sed nec minores aut pauciores sunt inter Pontificios, de Gratia Efficaci dividia, omnes simul delirae ac erroneae: utpote quando (I) Efficaciam Gratiae ex cooperatione Liberi arbitrii, & actu voluntatis consentientis, deducunt; contra Rom. 9. v. 16. Joh. 15. v. 5. c. 6. v. 44. 1. Cor. 2. v. 14. Phil. 2. v. 13. Ubi (II) Efficaciam Gratiae divinae constituunt in praedeterminatione physica, quae Deus, antecedenter ad consensum liberum  
voluntatis

27  
voluntatis, physice illam premoveat ac prædeterminet tam effi-  
caciter, ut voluntas non possit non consentire; Idque adversus  
adhortationem Christi, præparationem hominum spontaneam, ad  
gratiam oblatam recipiendam, flagitantis, Luc. 12. v. 36. seq.  
& ad ejusmodi Spontaneam Hominum obedientiam Gra-  
tie suæ efficaciam disertè promittentis, Joh. 14. v. 21, 23.  
Apoc. 2. v. 20. imò, propter refractariam inobedientiam, gratiam  
suam hominibus denegaturum, per Prophetas comminantis  
2.Chron. 12. v. 5. c. 15. v. 2. Pariterq; (III) Gratia istam efficaciam  
existimant consistere in certâ quâdam determinatione mora-  
li ad bene operandum, hominis voluntatem ad actum conversio-  
nis infallibiliter inclinante, cui, propter gratia vocantis evi-  
dentiam, impossibile sit moraliter resistere; Quod tamen repu-  
gnat Dei expectationi, quâ occasionem miserendi, Esa. 30. v. 18.  
patientie quoq; & longanimitati erga impænitentes, Rom. 2. v.  
4. 2. Petr. 3. v. 9, 15. item Scripturæ universæ, Gratiam conversio-  
nis resistibilem esse asseveranti, Jer. 6. v. 10. Act. 7. v. 51. imò et-  
iam Gratia divina operationi, quæ propriè nec est physica, nec  
moralis, sed hyperphysica, per Verbum Dei, analogicè verò di-  
cta physice agere, quòd verè & realiter per virtutem Verbi insti-  
tam agat; unde comparatur Pluvia, Esa. 55. v. 10. seq. Igni,  
Jer. 23. v. 29. Semini, Marc. 4. v. 28.

18. Quidam (IV) efficaciam gratia collocandam asse-  
runt; Sive in Congruitate & contemperatione cum Libero arbitrio,  
ut voluntatis consensus ad vocationem sequatur infallibiliter, si-  
ne respectu ad ullam præscientiam divinam; Quod con-  
travenit Scripturis, 1. Cor. 2. v. 14. c. 3. v. 19. Rom. 8. v. 7. Job. 5.  
v. 13. seq. sive in Vi infallibili Scientia Dei mediæ, quâ Deus in-  
fallibiliter præsciverit, hominem, si tali gratiâ preveniretur, con-  
sensurum esse; Cum alioquin contra, ab infallibilitate eventus,  
quoad esse præcognitum in omniscientiâ divinâ, ad necessitationem  
voluntatis humane per decretum & influentiam Dei, N. V. C.

28 Nempe *infallibilitas & certitudo* ista eventus, velut accidens extrinsecum temporis rebus futuris superadditum, qui Deus ab æterno, ut præsentis, ex prævisâ subordinatone causarum & effectuum, spectat, *ingredi non potest voluntatem aut appetitum divinum vel humanum, tanquam principium movens, suadens, impellens, aut prædeterminans ad eligendum hoc præ illo*: Juxta illud Esa. 48. v. 8. *Novi quod prævaricando prævaricaberis, quodq; prævaricator ab utero vocatus sis*; Et tamen Psal. 5. v. 5. *Non DEUS volens iniquitatem tu es*. Idem evincit de homine, exemplum præscientis eclipsin, non tamen efficientis aut prædeterminantis. *Sive in Motione solâ morali, per illustrationem intellectus, & allectionem vel tractionem voluntatis in consensum, propter evidentiam*; Quod est contra naturam Fidei, Hebr. II. v. 1. 2. Corinth. 5. v. 7. Rom. 8. v. 24. Tandem ( V. ) *Prohibitionem Sedis Apostolica* obtendunt, ob quam non liceat expressè agere aut disputare de hac materiâ; Sed *Prohibitio ista* nos non obligat, qui diu antehæc auxilio divino egressi sumus ex Babel, Esa. 48. v. 20.

Observatio.

19. Porro hanc divisionem quod spectat, in *Gratiam Sufficientem & Efficacem*, observandum hoc deniq; venit, B. Meisnerum Anthropol. Sacr. Dec. 2. disp. II. q. 3. th. 33. seq. certo eam sensu *ισοδυναύουσαν* statuere illi, in *Gratiam Ordinariam & Extraordinariam* seu *Miraculosam*; Et hanc *Extraordinariam* infallibiliter & semper ex se *efficacem* esse; *Ordinariam* verò illam dicto sensu, *efficacem* vocari non posse, verum potius *Sufficientem*, illam provenire à voluntate Dei *simplici & absolutâ*, quæ impediri nequit; Hanc autem à voluntate oriri *conditionatâ*, quæ semper efficax non est. Non diffiterur quidem ibidem th. 38. seq. *Gratiam* quoq; *Ordinariam* posse simul, ratione *diversorum hominum*, atq; ab eventibus, & *Sufficientem & Efficacem* dici, cum utraq; sic appellata, sit in se *Gratia una eademq;*, devincta uni & eidem Verbo Dei, quod

quod omnes simul audiunt: Sed unam ac eandem naturam  
 & potentiam esse Gratiam, *Ordinariam* atq; *Extraordinariam*, loc.  
 allegato th. 37. negat. Verum enim vero (a) *Divisionem* Gra-  
 tiae in *Ordinariam* & *Extraordinariam*, ut distinctam ab altera  
 in *Sufficientem* & *Efficacem*, supra §. II. seq. adstruximus ex  
 nostratibus Orthodoxis Theologis, explicuimus quoq; &  
 vindicavimus; nec obscure B. D. Dannhaverus Hodos. phæ.  
 9. pag. 872, seq. Gratiae *Ordinariae* & *Extraordinariae*, itemq;  
*Sufficientis* & *Efficacis*, esse modos ab invicem distinctos in-  
 nuit. Accedit, quod Gratia in *Ordinariam* & *Extraordinariam*  
 distingvatur, respectu *Mediorum*; at *Subiecti* & *Eventus* respectu,  
 in *Sufficientem* & *Efficacem*: Ut proinde *divisiones* istoduvandæ esse  
 nequeant. (c) Nullam *Gratiam salutiferam*, nec quidem *Ex-  
 traordinariam*, esse à *Voluntate Dei simplici* & *absoluta*, quæ  
 nequeat impediri, patet, tum ex *transgressione Paradisiacâ*,  
 Gen. 3. v. 6. & *murmurationibus Israëlitarum* in deserto, contra  
 Deum & miracula ejus, Num. 16. v. 1. seq. alibiq; passim, tum  
 ex *contemptis miraculis* & *concionibus Christi*, Joh. 5. v. 38. 40. ibi-  
 dem 10. v. 37. seq. &c. Quin alias *Absolutum decretum* &  
*particularismus Calvinistarum* asserendus foret, si Gratiam  
*extraordinariam* illi, quibus contingit, non possent impedire.  
 Sed de Gratiae *resistibilitate*, *ovv Oēq̄*, in sequentibus agen-  
 dum venit. §. Nihil igitur *Officit*, quod August. Confess. Inflans  
 Artic. V. ait, *Spiritum S. Fidem efficere, ubi & quando visum est*  
*Deo, in iis, qui audiunt Evangelium. Respondet* quippe & ex-  
 plicat D. Osiander Colleg. Aug. Confess. Artic. eodem pag. Resp.  
 m. 312. ita: *Quando additur, Spiritum S. efficere Fidem, ubi &*  
*quando visum est Deo, adeoq; eam refundit in Voluntatem divinam,*  
*non refundit in Voluntatem absolutam, sed in Voluntatem certo or-*  
*dini alligatam, atq; solum excluditur obligatio Dei ex parte nostri,*  
*quasi teneatur Fidem conferre, nec liberè hoc ipsum, citra nostram*  
*virtutem & operam. Patet, quia Spiritus S. efficit Fidem in illis, qui*  
audi-

audunt Evangelium, h. e. non resistunt, ordinem mediorum obser-  
vant, atq; attendunt. Possunt tamen voces illæ, Ubi & Quando, unâ  
referri ad Dispensationis diuine admirandam varietatem, quòd  
scilicet non in omni loco, nec omni tempore, Verbum apud omnes &  
singulos fructificet, sed apud alios citius, apud alios tardius, &c.

Distin.  
tio Gra-  
tia in In-  
ternam  
& Exter-  
nam ex-  
citur.

20. Demum Calviniani Gratiam, quasi per species, in  
Internam & Externam distribuunt. Illâ designant vim quan-  
dam Spiritus Sancti, in cordibus intus operantis, & homines effi-  
caciter conuertentis, quâ solos electos vocari contendunt. Hæc  
verò intelligunt externam Verbi prædicationem, ab internâ Spi-  
ritus Sancti operatione sejunctam, scilicet quâ vocentur omnes  
in externâ Ecclesie societate. Verùm Calviniani hæc Gratiam  
Internam & Externam, ut species oppositas, considerant, cum  
tamen, sententiâ Spiritus Sancti, non nisi partes sint inte-  
grales, quæ eandem Gratiam, ut totum, absolvunt: Cum  
externâ enim Verbi prædicatione semper conjuncta est internâ  
Spiritus S. operatio, ut, quos Deus Verbo externo ad resipiscen-  
tiam & salutem æternam invitât, eosdem internâ Spiritus S.  
gratiâ, eâq; sufficiente sermone & saluationis sine vocet. Non e-  
nim sejungendam esse Externam verbi prædicationem ab In-  
ternâ Spiritus S. operatione, arguunt Scripturæ, Rom. 10. v. 17.  
Fides est ex auditu. Rom. 10. v. 16. Evangelium est potentia ad  
salutem. 1. Thess. 1. v. 5. Evangelium nostrum non fuit inter vos  
ἐν ἁγῶ νόθον, sed ἐν ἀνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἀληθείας, καὶ ἐν πολλῆ-  
γοφροῦνι καὶ κατανύξει. Nec valet instantia, quòd internâ gratiâ vo-  
centur solum Electi; Namq; & Reprobos internâ gratiâ vocari,  
sed eisdem resistere, Stephanus protestatur, Act. 7. v. 51.

& refel-  
litur.

21. In contrarium obuertunt, (I.) Assertionem Chri-  
sti, Matth. 11. v. 21. ubi in Tyro, Sidone & Sodomâ, non tante di-  
cuntur factæ virtutes, quanta in Chorazin, Bethsaida & Caperna-  
na imo; Verùm nihilominus Verbi prædicatione ejusdem utro-  
biq; & æqualis virtutis erat, quia Oblationem & Vocationem,

et si quā *mensuram Applicationis*, intuitu videlicet *negligentia*  
illorum & horum *resistentia*, occurrebat *diversitas*; secundum  
illud, Rom. 12. v. 3. *ἐκάστω ὁ Θεὸς ἐπέχει τὴν μέτρον τῆς πίστεως*. 1. Cor.  
12. v. 11. *Spiritus unicuique dividit, prout vult.* (2.) *Verbum Dei*  
multis per *parabolas* proponi, idē ut videntes non videant,  
audientes non intelligant, Matth. 13. v. 11. Marc. 4. v. 12. Luc.  
8. v. 10. Unde tamen ponū elicitur *contrarium*; *Utpote*  
quia *genes docendi parabolicum* est naturā & ex se maximē  
*ἀποκρυφικόν*, quare in rebus fidei à Christo ipso usurpatum,  
absq; internā Spiritus S. gratiā esse non potuit, utut audi-  
tores, prædicati sibi verbi vel negligentes vel contemto-  
res, & usque parabolæ explicationem à Christo propo-  
nendam non remanentes, Marc. 4. v. 10. Matth. 13. v. 10, 13.  
eam intelligere neq; verint. (3.) Multos ideo non conver-  
ti, quia *Deus non dat ipsis cor ad intelligendum*, Deut. 29. v. 4.  
& *Verbum Dei multis esse odorem mortis ad mortem*, 2. Corinth.  
2. v. 16. Verū *Mosaicum illud, exprobratio est expositulatio*,  
per indignationem ostendens, Deum per tot *tentationes*,  
*signa & portenta*, non potuisse *Israelitis* propter eorum con-  
tumaciam *dare cor ad intelligendum*; ceu hīc tamen finis isto-  
rum miraculorum exprimitur, ibidem v. 6. ut scilicet *in-*  
*telligerent Iehovam ipsum esse Deum illorum*. Alterum autem  
*Paulinum* ostendit pariter, quid *vitio hominum fiat*, verbo  
Dei se deditā operā *opponentium*: nempe cum *Evange-*  
*lium* in se & conditione nativā sit *potentia Dei ad salutem*,  
Rom. 1. v. 16. *incredulis* tamen evadat *odor mortis ad mortem*;  
sicut *Christus petra salutis*, & *lapis angularis Ecclesie*, Eph. 2.  
v. 20. 1. Petr. 2. v. 4. *impiis & contumacibus*. *Evangelii contemto-*  
*ribus*, est *lapis offensionis*, & *petra scandali*, Ela. 8. v. 14. 1. Petr.  
2. v. 8. (4) *Neminem venire ad Christum, nisi Pater eum traxerit*,  
& *qui audit à Patre & didicit*, Joh. 6. v. 44, 45. At verò, si-  
cut *Prædicatione verbi*, non motu violento aut ineluctabili  
necessi-

32. necessitate, *tractio* illa peragitur, ita nonnulli *tractioni* ei-  
 dem *obsequuntur*, non pauci etiam *resistunt*, idque non ex  
 diversitate tractus, sed *sponte propria*, Act. 7. v. 51. imò nec  
 ἐλκύει *hic*, Joh. 6. v. 44. violentam magis & ineluctabilem  
 tractionem notare poterit, quàm ἀναγκάζει, Luc. 14. v. 23.  
 & ἄρξαι βιάσασθαι, Luc. 24. v. 29. quæ illic tamen *seriam* de-  
 signant & *incessantem* tantum *invitationem*. (5) Deum, *citra*  
*spem veniæ*, destinasse aeterno exitio Cananeos, Deut. 20. v. 16, 17.  
*nec posse vocari Gratiâ* sufficiente illos, quos Deus praevidit *hâud*  
*esse venturos*: Cum tamen è contrâ Deus omnes velit salvos,  
 1. Tim. 2. v. 4. 2. Petr. 3. v. 9. omnibus quoque *Gratiam* det *suffici-*  
*entem*, Prov. 1. v. 24, 25. Act. 13. v. 46. Matth. 23. v. 37. etsi præ-  
 vidit quosdam nec venturos esse, Matth. 11. v. 20. seqq.  
 Luc. 20. v. 10. seqq. *Decretum* autem de *exstinguendis Cananeis*  
 non fuit *absolutum*, sed *conditionatum*, ab ipsorum contuma-  
 ciâ peccandi unice dependens, Deut. 20. v. 18. ideòque nec  
*universale*, exemplo Rahab, Hebr. 11. v. 32. & Gibeonitarum,  
 Jos. 9. v. 3, 20. seqq. Nulla igitur potest, ad *Gratiam* aliquam  
*internam* peculiarem, inde exstrui sequela. §. Coronidis  
 loco hic observandum manet; Etsi Pontificii, hoc in argu-  
 mento de *Gratiâ DEI*, læpius premunt pollicem Calvi-  
 nianis, etiamque à seipsis identidem dissentiunt, ab illo-  
 rum tamen doctioribus potioribusque doceri, quòd *DEUS*  
*offerat SuffICIENTEM Gratiam*, non solum *Prædestinatis*, sed etiam *Re-*  
*probis*, *induratis* quoque & *excacatis*, Act. 7. v. 51. atque etiam *Gen-*  
*tilibus*, qui nihil unquam de Christo audierint, *habere SuffICIENTEM*  
*Gratiam*, quâ *salvari* possent, si vellent, quia *habeant Cognitionem*  
*DEI Nativalem & Legem Naturæ*. Non quòd per ea salvari  
 possent, uti vult Becanus: sed quia debuissent iis uti, tan-  
 quam *Padagogiâ ad CHRISTUM*, monente B. D. Christiano  
 Chemnitio Prælect. in L. L. Theol. Huttero-Cundisianos  
 pag. m. 321.

Observatio.

CAP.

**M**Unera, quævis multi ducuntur in arva Lyæi  
Atq; suos discunt cyathis mersare clientes,  
Proluere & multo præcordia lenta falerno,  
Langvida sunt, nec suppeditant, quò quisquere-  
cumbat.  
Demere sic partem vitæ pars multa Juventæ  
Sæpe solet, simulac Musis imponere longa  
Otia. Dissimili ast ardet fervore BONERUS,  
Massica qui rarò pressit Carchesia Bacchi,  
Sordidus atque situ loca nec semeleja tenta  
Triverat: ast Heliconiadum peramœna vireta  
Lustrat, Thejologûm fata non piger Enthea cellâ  
Mente legit, vitæ promit præcepta beatæ,  
Egregiè monstransq; viri quod turgida planta  
Sit pia Tharsiaci. Tantis conatibus ergò  
Maeste, BONERE, tuis! tandem, qui pallia Præsul  
Nigra locat tergo, cleri sic interet horto!  
Gloria, grande decus, surgat tibi! gratulor orsus  
Hosce bonos! Deus hinc cœptis faveat simul almis.

*PETRUS ARCTOPOLITANUS.*

*Surgit*

**S**urgit in expanso spatioso lumine splendens  
 Auricomus Phœbus, nuncia grata ferens  
 Hæc; quod melliculum Charitum, turbæque novenæ  
 Proles, Pieridum splendida dona gerens,  
 Occupet armatus Cathedram virtute BONERUS,  
 Discursus stadio rela inimica fugans:  
 Dogmate in hoc sacro cœlestibus ausibus omne  
 Inceptum peragens, auspicioque Dei.  
 Hinc laudum titulis mactabitur oppidò ab illis  
 Qveis niveum est pectus iudiciumque pium,  
 Curâ quod sibi constanti sapientiam amandam  
 Conciliârit in his, cœlica tecta quibus  
 Acquiruntur; inanibus his citò disperituris,  
 Neglectis, captat quæ levitatis amans.  
 Sed nec sinceri, justâque bilance probantes,  
 Te studuisse negant artibus in sophicis.  
 Omnes namque boni noverunt Te didicisse  
 Ritè ea quæ docti composuère viri.  
 Nunc igitur primò sub Præsîde differe Celso.  
 Mox dans ingenii pignora post proprii.  
 Sic gaudebit ovans patria alma, ac ambo parentes  
 Confecti senio, gloriâ & ipse clues!

His paucis animum testatum reddere amico,  
 Non fucò tinctum percipiit placido,  
 ERICUS JOH. CASTELIUS AB.

